



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

Sectio j. Suppositum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

id Regularibus permitti videtur (vt legere est apud Rodrig. tom. 2. *quæst.* 125. art. 9. & Peirinum tom. 1. *privileg. Minim. in Constit.* 11. *Julij* 11. num. 76.) quoad huiusmodi bona transferenda ; modò cessant propter dictum decretum S. Congregationis , cum in eo reuocentur omnia privilegia Regularium in ordine ad alienationes prædictorum bonorum faciendas ; quamvis non cessent quoad bonorum mobilium non prædictorum , quæ seruando seruari non possunt : horum enim alienatio non est prohibita , vt patet ex dicta extrauag. *Ambitiosa* , & dicto decreto S. Congregationis. Et quod dixi de translatione , idem dico de permutatione , seu commutatione , quia permutatio etiam est alienatio , & expressè prohibetur in dictis iuribus , unde nec ista fieri potest à Regularibus sine licentia S. Congregationis , nisi similiter de rebus mobilibus non pretiosis , vel quæ seruando seruati non possunt.

- 11 *Consensus Apostolicus* , sicut & omnis alia iuris solennitas , præsumitur ex lapsu triginta vel quadraginta annorum in alienatione rei Ecclesiæ , vel loci *pij* , si contrarium aliunde non constet.
- 12 *Consensus Apostolicus in dubio non præsumitur* , nisi demonstretur , secus est si de iure aliunde non requirebatur.
- 13 *Delictum* , & defectus non præsumitur , nisi demonstratur.
- 14 *Homo* , quando constat Deo vouisse , iurasse , vel contractum fecisse , præsumitur deliberationem sufficientem , & solennitates requisitas , seu necessarias adhibuisse.

Suppono , in alienatione bonorum Ecclesiæ Cathedralis iure antiquo requiri consensum Sedis Apostolicæ , non quidem , vt alienatio sit valida , sed solum , vt sit licita , etiam si Episcopus in sui consecratione iurauerit , se bona Ecclesiæ , inconsulto Summo Pontifice , non alienaturum , neque oppignoraturum , neque in feudum vel emphyteusum de nouo daturum ; quapropter Episcopus (idemque dico de Abbate , qui à Papa creatur , quia & hic etiam similiter , sicut & Episcopus , iuramentum emittit de non alienando bona sui Monasterij) periturus quidem est , alienando bona suæ Ecclesiæ , inconsulto Summo Pontifice , non tamen alienatio iure dicto antiquo attento est inuálida , si solum conditio hæc de consensu Summi Pontificis obtento desit , quia nullo iure antiquo illa irritatur , & ex alio capite aliud est , aliquid esse illicitum , ac esse inuálidum , vt patet si quis iuret rem suam non vendere , & postea tamen vendat , in quo casu illicitè quidem vendit , non tamen inuálidè. *Abb. in cit. cap. 1. de his , quæ sunt à Prelat. Mol. de iust. disp. 467. num. 8. & 16. Riccius decis. 11. & 46. Sopran. cap. 1. quæst. 10. & alij passim. Vide quæ dicuntur infra dub. 29.*

Dixi , iure antiquo , quia iure nouo extrauag. *Ambitiosa* , Pauli II. requiritur consensus Apostolicus , non solum in rebus Ecclesiæ Cathedralis (sicut etiam iure antiquo requirebatur ad licitam solum alienationem talium bonorum) sed etiam in rebus cuiuscumque alterius Ecclesiæ , & loci *pij* (in locis tamen , in quibus dicta extrauagans quoad hanc partem recepta est) ad hoc vt talium rerum alienatio sit licita , & valida simul. Sic communiter Doctores , Leo in *thesaur. fori* , cap. 15. num. 7. & Quaranta *verb. Alienatio* , num. 5. contra Redoanum *quæst.* 42. & 46. Sufficeret tamen consensus Apostolicus sine alia iuris solennitate , si sic vellet Pontifex : quia talis solennitas requiritur de iure Canonico , in quo Pontifex potest dispensare. Accedit , quod bona Ecclesiæ subsunt arbitrio ipsius Pontificis : ergo , &c. Sic Ruinus *conf.* 157. Riccius *conf.* 242. & Sopranus *cap. 5. q. 4.* Qui tamen consensus Apostolicus supplens , licet suppleat solennitates positivas , non tamen supplet alienandi causam , nisi Pontifex exprimat ; quia Pontifex semper consensum præstat sub conditione , si alienatio sit in euidentem utilitatem Ecclesiæ , ad id quod , si quando forè non exprimit , tacitè subintelligat. Rota *2. p. diuers. decis.* 178. n. 2. Quaranta n. 7. Redoanus *q. 22. n. 75.* & Sopranus apud Filliucium *tract. 44. cap. 5. q. 11.* Quapropter alienatio etiam cum dicto consensu Apostolico supplente celebrata impugnari poterit , nisi euidenter constet , illam in utilitatem Ecclesiæ celebratam fuisse. Menochius , Quaranta , & alij in locis supra cit.

Cæterum , an consensus Apostolicus , sicut & omnis alia iuris solennitas , præsumatur ex lapsu 30. vel 40. annorum in alienatione rei Ecclesiæ , vel loci *pij* intercessisse , si contrarium aliunde non euidenter constet.

Respon

DUBITATIO VI.

An , & quid dicendum sit , si Prælati in ordinatione sui Summo Pontifici iurauerit , se bona Ecclesiæ non alienaturum ?

SECTIO I.

Suppositum.

SUMMARIVM.

- 1 *Iure antiquo in alienatione bonorum Ecclesiæ Cathedralis requirebatur consensus Sedis Apostolicæ* , non quidem vt alienatio esset valida , sed solum vt esset licita ; etiam si Episcopus in sui consecratione iurauisset , se bona Ecclesiæ inconsulto Summo Pontifice , non alienaturum.
- 2 *Episcopus , & Abbas à Summo Pontifice creati per iuri sunt alienando bona Episcopatus , & Monasterij respectiue* , ad quæ non alienanda iuramento stringantur , inconsulto Summo Pontifice.
- 3 *Alienatio prædicta non tamen de iure antiquo , de consensu Summi Pontificis obtento est inuálida* , si solum conditio hæc desit ; quia nullo iure antiquo illa irritatur.
- 4 *Aliud est aliquid esse illicitum* , ac esse inuálidum.
- 5 *Iurans se rem suam non venditurum* , si postea vendat , illicitè facit , non tamen inuálidè.
- 6 *Iure nouo per extrauagantem Ambrosia Pauli II. requiritur consensus apostolicus non solum in rebus Ecclesiæ Cathedralis* , sed etiam cuiuscumque alterius Ecclesiæ , & loci *pij* , ubi tamen dicta extrauagans est recepta.
- 7 *Consensus apostolicus sufficit sine alia solennitate* , si sic vellet Pontifex , quia cum talis solennitas sit de iure Canonico , Papa potest dispensare.
- 8 *Consensus Apostolicus* , licet suppleat solennitates positivas , non tamen supplet alienandi causam , nisi Pontifex exprimat.
- 9 *Pontifex semper consensum præstat sub conditione* , si alienatio sit in euidentem Ecclesiæ utilitatem , quod forsitan etiam non expressum tacitè intelligitur.
- 10 *Alienatio* , etiam cum dicto consensu Apostolico supplente facta impugnari poterit , nisi euidenter constet illam in utilitatem Ecclesiæ celebratam fuisse.

- Responderetur affirmatiue: Sic Felinus, & alij, quos citat, & sequitur Genuensis in praxi, cap. 88. Riccius decis. 34. & 35. Mascardus de probation. concl. 416. numero 2. & videtur esse vsu receptum in Rota Romana, quamvis contrarium teneant Baldus in l. 2. Cod. de delegit. hered. Menoch. lib. 3. presumpt. 132. num. 70. & 71. Quaranta num. 46. & Redoanus quest. 38. num. 16. Sed quod dixi, est multò probabilius, iuxta regulam apud Mascardum vol. 2. de probation. concl. 734. & gloss. l. in contrahenda, ff. de regul. iuris: factum (licet in dubio non præsumatur, nisi demonstretur, vt colligitur ex l. in bello, §. facta, ff. de captiuis, & postliminio reuersis, & l. 2. ff. de probat.) tamen præsumitur, si illud de iure faciendum erat; quia magis est, vt existimemus, aliquem munus suum rectè obiiisse, atque in eo, quod egit, nihil necessarium omisisse, quàm non, quia delictum, & defectus non præsumitur, nisi demonstretur.
- 14 Vnde similiter si constet, hominem quidpiam egisse, v. g. Deo vouisse, iurasse, vel contractum fecisse, &c. præsumitur deliberationem sufficientem, & conditiones, ac solennitates requisitas, seu necessarias adhibuisse. His suppositis sit.

SECTIO II.

Dubitationis Resolutio.

SUMMARIUM.

- 1 Episcopus si iurauit simpliciter non alienare bona sua Ecclesia, dicitur quod intellexit solum de illicita alienatione.
- 2 Episcopus si iurauit se non alienaturum bona sua Ecclesia, inconsulto summo Pontifice, censetur intellexisse de alienatione licita, & iure concessa.
- 3 Iuramentum debet aliquid operari.
- 4 Solus defectus consultationis Papæ sufficit ad incurrendas pœnas à iure statutas, licet seruaretur tenor præscribi solitus.
- 5 Ad disunctionem sufficit alterutram partem verificari.
- 6 Episcopus, vel Abbas alienantes in casu posito res sua Ecclesia, etiam in causis, quas iura concedunt, fiunt periuri, cum tale iuramentum sit de re licita.
- 7 Excipitur primò casus magna necessitatis, qua dilationem non patitur, vt Pontifex, aliusve superior prius consuli possit.
- 8 Excipitur secundo casus in rebus modicis, vel Ecclesie parum vtilibus, quas Prælati potest alienare non obstante iuramento.
- 9 Excipitur tertio casus locationis ad longum tempus, & concessionis in pignus, seu hypothecam vel in feudum, & emphyteusim; in quo potest Prælati non obstante iuramento, inconsulto summo Pontifice, ad actum deuinire sine perijuri periculo, & sic non valide, nec licite ex alio capite.
- 10 Iuramentum est stricti iuris, & strictæ interpretationis, & ideo in tali casu alienationis appellatione non venit, nisi alienatio strictè sumpta, per quam directum dominium transfertur.
- 11 Nomine alienationis strictè sumpta, non venit locatio etiam ad longum tempus, vel pignus, vel hypotheca, vel in feudum, vel emphyteusim concessio, contra Abbatem, & alios.
- 12 Iuramentum simpliciter prælatum, intelligi debet secundum subiectam materiam, & secundum iuris dispositionem.

- 13 Nomine alienationis ex iuris dispositione venit etiam locatio ad longum tempus, & in pignus, seu hypothecam, vel in feudum, & emphyteusim concessio.
- 14 Nomine alienationis per extraneam Pauli II. venit etiam locatio ad longum tempus, & in pignus, seu hypothecam, vel in feudum, & emphyteusim concessio.
- 15 Extraneus Pauli II. pluribus in locis, quoad dictum rigorem non fuit recepta, saltem quoad pœnas, & censuras, & etiam quoad locationem ultra triennium, & quoad concessionem in pignus, seu hypothecam, vel in feudum, & emphyteusim.
- 16 Extraneus ambrosius Pauli II. in quibusdam locis recepta non est quoad assensum Apostolicum in alienatione quorundam bonorum Ecclesiasticorum.
- 17 Iuramentum Prælati de non alienando bona sua Ecclesia inconsulto summo Pontifice, non est improbabile, quod intelligatur de alienatione tantum illicita, & contra formam iuris.
- 18 Iurans non infundare bona Ecclesia, inconsulto summo Pontifice, non intelligitur de feudo dato, & ad Ecclesiam deuoluto, quod est licitum, sed tantum de noua feudi concessione, qua est illicita.
- 19 Iurans non alienare res Ecclesia, inconsulto summo Pontifice, non intelligitur, quod non possit alienare in casu necessitatis, vel quod non possit alienare res modicas, aut parum vtilis.
- 20 Prælati iurans perpetuò in Ecclesia se permanurum, non intelligitur, quod non possit abesse ex causa necessitatis, seu vilitatis Ecclesia.
- 21 Iuramentum factum in materia iuris, ad iuris terminos restringi debet.
- 22 Consensus summi Pontificis iuxta extraneam ambrosiosam, requiritur in illis casibus, in quibus Prælati consensus, & tractatus à iure expostulatur. Secus ubi consensus Prælati non requiritur.
- 23 Iuramentum Prælati in dictis casibus non est elusorium, operatur enim vt Prælati sit firmiter in obseruandis iuris statutis.
- 24 Iuramentum extendi potest ad quamlibet alienationem, etiam licitam, & iure concessam, de facto tamen non extenditur.
- 25 Defectus consultationis summi Pontificis, sufficit ad incurrendas pœnas in illis casibus, in quibus consultatio illius expostulatur; non tamen requiritur in omnibus casibus.
- 26 Legatus à latere non potest reuelare iuramentum factum à Prælati de non alienandis bonis Ecclesia inconsulto summo Pontifice, quia id esset in præiudicium summi Pontificis.

Responderetur ad difficultatem positam distinguendo: vel Episcopus iurauit simpliciter, se bona Ecclesie non alienaturum, vel non alienaturum inconsulto summo Pontifice. Si primo modo iurauit, iuramentum intelligitur de alienatione solum illicita, vt perinde sit, ac si Prælati iurasset, se bona Ecclesia non alienaturum sine iusta causa, & præter iuris formam; in quo non est difficultas, & conueniunt Doctores. Si secundo modo iurauit, ex probabiliori sententia Doctorum intelligitur de alienatione etiam licita, & iure concessa. Sic Abb. in cap. vt super, de rebus Eccles. non alien. Silu. verb. alienatio, quest. 16. Molina de iust. tract. 2. disp. 468. Azor. 2. part. lib. 9. cap. 1. quest. 9. Scortia Theorem. 118. & Nauarr. comment. de alienat. rerum Eccles. num. 13. & in Man. cap. 27. numero 149. & colligitur ex verbis, quæ Prælati, scilicet Episcopus, & Abbas, qui vigore literarum Apostolicarum consecratur, in ordinatione sui profert, ibi: Possessiones ad mensam meam pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignerabo, neque de nouo infundabo,